



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Quis optimus moriendi modus. xxvi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

manentes, & per ipsum, atque in ipso resurgentes, quid ipsi recedere istinc de seculo nolumus: aut nostros recedentes quasi perditos plangimus ac dolemus? ipso Christo Domino & Deo nostro monente & dicente: Ego sum Resurrectio & Vita: qui credit in me, licet moriatur, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in eternum. Si in Christum credimus, fidem verbis eius & promissis habeamus: & non morituri in eternum, ad Christum; cum quo victuri & regnaturi semper sumus, leta securitate veniamus. Quod interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur: nec potest vita aeterna succedere, nisi hinc contigerit exire: non est exitus iste, sed transitus: & temporali itinere decurso ad aeterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? Quis non mutari & reformari ad Christi speciem, & ad caelestis gratiae dignitatem venire citius exoptet? Paulo Apostolo predicante: Nostra autem conuersatio in caelis est: unde & Dominum expectamus Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae. Tales nos futuros, & Christus Dominus pollicetur: quando, ut cum illo simus, & cum illo in aeternis sedibus viuamus, atque in regnis caelestibus gaudeamus, Patrem pro nobis precatur, dicens: Pater, quos mihi dedisti, volo ut ubi fuero, & ipsi sint mecum: & videant claritatem, quam mihi dedisti, priusquam mundus fieret.

Quis optimus moriendi modus.

CAPVT.
XXVI.

Esa. 32.

Optimè moritur, qui in Fide, Spe, & Charitate moritur. His enim tribus comparatur recta illa constitutio, & hilaris ac bona spe perfusa animi aequitas. Hinc Esaias de pulchritudine pacis, de tabernaculis fiducia, & requie opulenta concionatur. Hinc David

Rex

Rex ait: In pace in idipsum dormiam & requiescam. Et iterum: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Item Simeon: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Et S. Paulus desiderat dissolui, & mori inter lucra supputat. Quod ergo per omnem vitam meditandum atque exercendum est, id in morte vel maxime prestandum. Excitanda proinde omnibus modis Fides, fulcienda Spes, accendenda Charitas: vt de Scripturis sanctis nihil hesitantes, nullis corporalium passionum procellis fracti, nullis demonum prestigiis circumuenti: sed contra potius, impenetrabili scuto Fidei, inuicti animi robore, excluso mortis pauore, & extinctis ignitis Satanae iaculis, procul ab omnibus terrenis affectibus, ad caelestis vitae desiderium erecti, cum certa Resurrectionis spe, cum plena de Misericordia Dei, de Meritis Iesu Christi D. N. deq; gratia Spiritus sancti fiducia, leta securitate obdormiamus in Domino: eiusdem Christi IESV opem assidue implorantes, atque in Dei manibus animas nostras commendantes. Sic S. Stephanus dum lapidibus extinguitur, inlamar: DOMINE IESV, suscipe spiritum meum: vt & nos, cum anima nostra deficit, & à corporis compage diuellitur; nobis diffisi, Christo maxime confisi, eam DIVINÆ committamus FIDEI, & permittamus POTESTATI.

Psal. 4.
Psal. 41.

Luc. 1.

Philip. 1.

Ephes. 6.

Act. 7.